

quia nemo ad illas obligatur, et ita recte ibi præceptum pro permissione boni interpretamur. Sæpius vero dicuntur leges permittere aliqua mala, sicut leges civiles permittunt meretrices, et maritum occidere uxorem inventam in actuali adulterio, et contrahentes se decipere infra dimidiam, etc. Sic etiam multi intelligunt verbum Christi Matth. 19: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras*, ut supra Imperfect. exponit, et Ambrosius, lib. 8, in Luc, cap 16, et Hieronymus, Matth. 5 et 19, et quam plures Scholastici. Alii vero intelligunt de dispensativa permissione per quam actus redditur non malus, licet non præceptus, quod est probabile; non pertinet tamen ad hunc locum id discutere: satis enim est quod in illo etiam sensu permissio dici potest effectus legis.

11. Omnibus autem his modis hic effectus non est pure negativus, sed aliquid positivum circa negationem operatur, diverso tamen modo. Nam quando permissio dicitur de actu alias bono, non solum non prohibet illum: sed etiam cum sit bonus, dat positivam facultatem, seu licentiam, vel jus aliquod ad illum. Idem contingit in exemplo posito ab Isidoro: cum enim lex dicit: *Vir fortis petat præmium*, non solum negative permittit, sed dat illi speciale jus ad postulandum tale præmium, et ad laborandum in spe illius, in virtute virtualis promissionis ejusdem legis. Atque hoc modo lex concedens favorem, quando non præcipit illum acceptare, sed liberum relinquit illi renunciare, permissiva dicitur juxta modum loquendi Isidori: quamvis non tantum negative disponat, sed aliquid positive concedat. Quando vero lex permittit malum, in quo vel dispensare non potest, vel non dispensat, licet non tribuat jus (ut sic dicam), tribuit saltem impunitatem apud homines, quæ continet morale jus non parvi momenti. Interdum etiam (si sit lex civilis) concedit vel negat actionem in judiciali foro, qui etiam est moralis effectus satis distinctus a sola negatione prohibitionis. Denique si permissio sit simul dispensativa, esto non sit præceptiva, concedit non solum impunitatem apud homines, sed etiam apud Deum, quia concedit immunitatem a culpa, quod longe majus est.

12. Atque hinc tandem intelligitur quod superiori capite dicebamus, legem permittentem semper includere præceptum obligans aliquem, et aliquo modo. Nam licet non obliget alios, ad quos potissime dirigitur per modum imperii: ut in illo exemplo, capite *Qui partem,*

verbum illud *præcipimus clericum fieri*, non obligat mutilatum, ut clericus fiat, sed respectu illius est permissio concessiva (ut sic dicam): obligat tamen Prælatum, ne ob eam causam illum repellat. Item in exemplo Isidori obligat illa lex ad dandum præmium viro forti petenti, quando secundum legem petit, et nihil est quod rationabiliter impediatur. Quando vero permissio est alicujus mali, obligat judicem ne propter illud puniat, quia hoc prohibet talis lex, et sic de aliis. Atque ita sufficienter est declaratus hic effectus secundum se: quid autem secundum D. Thomam dicendum sit, in puncto secundo dicam.

13. *Quomodo punitio sit effectus legis. — Differentia legis naturalis et positivæ quoad effectum puniendi.* — Quarta objectio erat de punitioe, quia non videtur esse effectus legis. Ad quod breviter dico aliud esse loqui de dignitate seu reatu pœnæ; aliud de actuali inflictione pœnæ, et utroque modo potest dici pœna effectus legis, licet diversis considerationibus et rationibus: nam lex, imponendo necessitatem virtutis seu honestatis, consequenter facit ut transgressor legis sit dignus pœna saltem apud Deum, quia suam obligationem lege impositam non observat. Quod locum habet tam in lege naturali quam in positiva, divina, vel humana, quia supposita lege actus est inordinatus, et illa dignitas pœnæ intrinsece sequitur ex malitia actus, etiamsi malitia fortasse fuerit ex occasione legis positivæ. Est tamen differentia in hoc inter legem naturalem et positivam; quod lex naturalis, licet faciat vel ostendat actum esse malum, tamen ut est mere naturalis non taxat modum vel quantitatem pœnæ: nulla enim ratione intelligi potest hoc fieri sine decreto alicujus liberæ voluntatis. Quia licet peccatum ex natura sua mereatur fortasse pœnam tantæ gravitatis vel durationis, tamen quod sit in hac specie mali vel supplicii, vel quod sit in tali gradu intentionis, in tali loco et tempore, ex libera aliqua administratione, et providentia pendet: unde taxatio pœnæ isto modo, aut fit per legem æternam Dei, maxime quoad pœnam vitæ futuræ, aut fit per legem positivam, quoad pœnas quæ in hac vita et in humano foro imponuntur. Et olim quidem per legem divinam positivam scriptam fuerunt multæ pœnæ hujus vitæ pro variis delictis præscriptæ: in lege autem gratiæ nullæ sunt pœnæ inflictæ pro hac vita jure divino, ut in materia de censuris et irregularitate ostendimus. Hujusmodi ergo pœnæ vitæ præsentis per humanas leges civi-

les vel canonicas designantur, et eo ipso quod pœna est per legem designata, transgressor legis fit reus et debitor talis pœnæ, et hoc modo dicitur talis pœna effectus legis.

14. *Objectio. — Solutio.* — At vero ipsa actualis inflictio pœnæ aliquando fit etiam immediate per ipsam legem, ut quando lex ipsa secum affert executionem per se ipsam, ut contingit in legibus imponentibus censuras, irregularitates, aut alias inhabilitates ipso facto, quod etiam non facit lex, nisi imponendo obligationem ab aliquo actu abstinendi, vel aliquid agendi, ut de censuris alibi diximus, et de lege pœnali infra dicitur. Aliquando vero, et ordinarie solum infligitur pœna per legem mediate et remote, quatenus in virtute legis aliquis movetur, vel obligatur ad infligendam pœnam: unde, licet hoc modo judex, verbi gratia, sit propinqua causa pœnæ, vel potius minister qui ex imperio ejus movetur; nihilominus quia lex est quasi primum movens judicem, ideo talis pœna dicitur effectus legis. Dices: ergo omnis actus præceptus per legem, vel ommissio actus prohibiti dici poterit effectus legis, quod non videtur verum; nam effectus legis est præcipere, non facere. Respondeo concedendo sequelam cum proportionem: nam, ut capite sequenti dicam, effectus legis est facere homines bonos: unde duplex distingui potest effectus legis, unus, qui immediate fit ab ipsa, et hoc est præcipere, vel prohibere; alius mediatus, qui est bene operari, vel mala vitare. Et in hoc fere idem est de effectu punitiois, licet interdum ipsa executio pœnæ fiat per ipsam legem, ut dictum est.

15. *Objectio. — Solutio.* — Dices: ergo etiam peccatum poterit dici effectus legis permittentis, quia licet illa lex immediate solum concedat permissionem, vel præcipiat impunitatem, tamen ex illa tandem sequitur executio peccati permissi. Respondeo, negando sequelam: est enim longe diversa ratio, quia lex permittens justa est (ut supponimus); non est ergo causa peccati, quia neque illud inducit positive, ut constat, neque illud intendit, sed impedire majora mala: neque etiam indirecte est causa illius, quia non tenetur illud prohibere, aut punire; quare nec præbet activam occasionem illius, sed solum permittit scandalum passivum. Longe vero aliud est de lege prohibente malum et præcipiente bonum: nam utraque per se id intendit, et ad id inducit, quantum potest: imo etiam est diversa ratio de lege puniente, quia licet absolute non

intendat malum pœnæ, nihilominus ex suppositione culpæ intendit et præcipit pœnam, et interdum facit illam, ut dixi.

16. *Quinam sint effectus a lege intenti, et qui accessorii.* — Atque ex his satis declarati manent dicti quatuor effectus, et modus quo efficiuntur a lege, vel immediate quoad obligationem, prohibitionem, aut concessionem, vel mediate quoad executionem, seu punitioem. Constat etiam distinctio, et quasi ordo illorum effectuum inter se: nam primi duo effectus, qui sunt præcipere et prohibere, sunt primario ac per se intenti, et quodammodo pertinent ad substantiam legis, et in hoc distinguuntur ab aliis duobus, qui sunt veluti accessorii, et adjuncti ad juvandam legem, ut facilius vel efficacius priores effectus consequatur. Inter se autem distinguuntur duo primi effectus, tanquam affirmatio et negatio, ut declaratum est, et fere similem oppositionem habent inter se permissio et punitio; nam prior concedit impunitatem, vel etiam favorem; posterior vero e contrario se habet, ut constat.

## CAPUT XVI.

UTRUM OMNES LEGES PRÆDICTOS EFFECTUS EFFICIENT, PRÆSERTIM PECCATI PERMISSIONEM.

1. *Duplex usurpatio nominis lex.* — Ad hoc explicandum notari potest legis nomen interdum sumi ut collectivum, ad significandum totum aliquem ordinem, seu statum legum: sic enim lex naturalis dicitur tota collectio præceptorum naturalium; lex scripta, vel lex gratiæ, significat totum jus divinum positivum antiquum vel novum; et sic etiam potest accipi lex civilis et canonica cum proportionem; quamvis in communi usu loquendi illa collectio magis significari soleat nomine juris civilis vel canonici, quam nomine singulari legis. Alio ergo modo lex est determinatum nomen significans indefinite singulas particulares leges.

2. *Non omnes effectus legis singulis conveniunt.* — Loquendo itaque de lege hoc posteriori modo, et magis proprio, certum est non omnes illos effectus convenire singulis legibus, cum aliqui illorum inter se habeant oppositionem. Itaque imprimis lex prohibens non est præcipiens, nec e converso: nam, ut dixi, illi duo effectus distinguunt quasi duas species præceptorum habentium inter se oppositionem quasi contradictoriam ex parte materiæ. Nec

refert quod interdum dicitur lex præcipiens actum prohibere omissionem: nam illa prohibitio in affirmationem reducitur, quia est negatio quæ in negationem cadit, scilicet, in omissionem: et ita duæ negationes affirmant. Neque etiam obstat quod lex præcipiens actum tali tempore faciendum, virtute prohibet habere propositum, aut voluntatem non faciendi eundem actum pro illo tempore, sive tale propositum in eodem tempore, sive prius habeatur; semper enim erit legis violatio, sicut etiam lex prohibens aliquem actum præcipit interdum actum positivum voluntatis, vel externum, si necessarius fuerit ad vitandum actum prohibitum, ut lex non fornicandi aliquando obligat ad habendum positivum propositum non fornicandi, si necessarium sit ad vincendam rationem illi legi contrariam, vel obligat ad fugiendas occasiones, etc. Hæc (inquam) non obstant, quia sunt solum per quamdam consecutionem, in quantum lex aliquid imperans consequenter obligat ad ea quæ necessaria sunt ad id, quod primario est imperatum. Illa autem duo membra distinguuntur ex rebus quas per se primo imperant, quæ sunt agere vel non agere, et ita nunquam possunt coincidere in eandem legem.

3. *Effectus puniendi quomodo semper conjungitur cum omni lege.*—Sic ergo primi duo effectus non conveniunt singulis legibus. Tertius autem qui est punitio, semper conjungitur aliquo modo cum singulis legibus, et cum primis duobus effectibus, saltem quatenus omnis legis transgressio de se, et per naturalem consecutionem facit dignum pœna, ut dictum est; non tamen omnis lex imponit specialem pœnam, ut per se constat, sed hoc est proprium aliquarum legum: et quia pœnæ taxatæ pro vita futura pertinent ad forum Dei, de illis non agimus, quia nobis in particulari ignotæ sunt. Proprie ergo tribuitur hic effectus aliquibus legibus humanis, quæ speciales pœnas imponunt, et ideo pœnales dicuntur, de quibus infra specialem sermonem instituemus. Quartus denique permissionis effectus multo minus convenit singulis legibus: imo rarus est, et paucae sunt leges, quæ ad permissionem tantum concedendam ferantur, ut per se constat.

4. *Legi sumptæ collective omnes effectus legis conveniunt.*—Loquendo autem de lege in priori significato colectivo, sic omnes hi effectus possunt omnibus et singulis legibus attribui, præsertim si permissionem accipiamus in illa amplitudine, in qua ab Isidoro et a divo

Thoma sumpta est. Quod ideo dico, quia in permissione est aliqua difficultas: nam de cæteris tribus effectibus satis ex dictis constat in omni ordine legum habere locum: nam in omni ordine legum est necessarium aliquid præcipere et vetare, et cum omni lege est conjuncta vis cogens, qua faciat transgressores reos pœnæ. Illis ergo effectibus omissis, quod ad permissionem attinet (ut a clarioribus incipiamus) de legibus civilibus constat multa permittere, sive concedendo bona, seu privilegia, sive permettendo peccata: hoc enim non est contra justitiam talis legis humanæ, quia non spectat ad illam, nec ad finem ejus, cohibere, vel punire omnia vitia, ut tradidit Augustinus 1 de liber. Arbit., cap. 5 et 6, et infra videbimus, et exempla sunt in superioribus sufficienter posita.

5. *Lex permissiva per modum concessionis et dispensationis non supponens culpam in jure canonico sæpe reperitur.*—De legibus autem canonicis, clarum est inveniri in jure canonico leges permissivas aliquarum rerum quæ non includunt culpam, sed concessionem per modum dispensationis, non obstante aliquo defectu naturali, vel morali jam præterito, ut dictum est de casu cap. *Qui partim*, dict. §. Idem dici potest de canonibus permittentibus aliquem neophytum ordinari, vel conversum ab hæresi aliquando in honoris gradum restitui, et similibus. De permissione autem positiva peccati non videtur solere fieri per jus canonicum. Dico autem positiva, quia negative infinita sunt peccata quæ permittuntur jure canonico, id est, quæ non prohibentur, aut puniuntur, speciali jure canonico, sed relinquuntur suæ naturæ: sed jam diximus hunc modum permissionis non esse proprium effectum legis. Non videntur autem jura canonica positive disponere de aliquo vitio in particulari, ut non puniatur per Ecclesiæ Prælatos, aut quod impune permittatur, quia hoc non videtur consentaneum fini illius juris, qui est integra salus animarum, et ideo videntur relinquere prudentiæ Prælatorum vel correctionem, vel tolerantiam eorum peccatorum de quibus jura canonica nihil disponunt; et ita propria permissio positiva peccati non videtur esse effectus legis canonice.

6. *Lex divina Evangelica non continet leges aliquas permissivas, præcipue peccati.*—An lex vetus aliquod peccatum permitteret.—Unde a fortiori constat non inveniri talem permissionem in lege divina gratiæ, in qua pauca sunt positiva præcepta pertinentia ad ritus essen-

tiales sacrificii, et Sacramentorum novæ legis, et ad unitatem fidei magis explicitæ, et Ecclesiæ universalis sub uno capite: de aliis autem rebus particularibus non continet specialem dispositionem quoad actus virtutum, nedum quoad permissiones peccatorum. Neque dici potest illa permittere, solum quia non prohibet, quia non propter talem finem illa specialiter non prohibet, sed quia supponit prohibita ipso divino jure naturali. Loquendo autem de permissione concessiva privilegii, aliqui effectus similes possunt huic legi attribui, inter quos numerari possunt singularia privilegia Christianorum respectu infidelium, ut quod possit conjux fidelis ad infideli discedere, etc. Item privilegia clericorum, et præsertim summi Pontificis. De quibus tamen adverte hæc non dici proprie permissiones, sed jussa, quia non sunt privilegia personæ, sed fidei, vel dignitatis, et communitatis, et ideo non per modum permissionis, sed per modum præcepti conceduntur, ut, Deo dante, in materia de Ordine, et Hierarchia Ecclesiastica latius tractaturi sumus. De lege autem veteri controversia est, an illa positive permitteret aliquod peccatum, et præsertim tractatur de libello repudii. Sed non possunt hæc in particulari disceptari in præsentia. Solum dico id non repugnare justitiæ et honestati illius legis, nec esse multum alienum ab imperfectione ejus, licet satis probabile sit, etiam in illa lege non fuisse hunc effectum, quia necessarius non erat, et minus decuisse videtur.

7. *De permissionibus quæ in lege naturali et æterna reperiuntur.*—Tandem de naturali lege (idemque est cum proportionem de æterna) certum est, multa bona concedere permissive, potius quam præceptive (ut sic dicam) respectu singulorum quibus talis concessio fit. Ut concessit hominibus divisionem et dominia rerum: nam posse divisionem rerum facere et dominia particularia acquirere, de jure naturæ est, non præcipiendo, quia poterant homines divisionem non facere, et particularia dominia non admittere: ergo permissive. Et ita possunt multa numerari, de quibus dicemus libro sequenti, explicando jus gentium. At vero loquendo de permissione mali culpæ, certum est nullo modo permitti per naturalem legem: nam lex naturalis prohibet omne malum, et quantum est ex se nullum relinquit impunitum: nam omnis transgressor legis ex vi naturalis juris dignus est pœna. Unde quando D. Thomas, dict. q. 92, a. 2, dicit parva mala permitti per legem, potest primo intelligi se-

cundum aliquos, de peccatis venialibus, quæ lato modo permitti dicuntur, quia non sunt contra præcepta naturalia, sed præter illa. Sed hoc non placet, quia omne malum etiam minimum prohibetur lege naturali, et dici potest contra illam, licet imperfecte. Debet ergo illud intelligi non de lege naturali, sed de lege in generali, ut abstrahit a positiva et naturali: ita enim loquitur D. Thomas de lege in illo articulo, ideoque non omnia quæ ibi dicit sunt accommodanda omnibus legibus, sed singula singulis cum partitione accommodata juxta materiæ capacitatem. Sic ergo aliqua lex, scilicet humana et civilis, permittit illa parva mala, licet non omnis lex, quia lex naturalis illa non permittit. Et in hoc sensu parva mala dici poterunt, non tantum venialia peccata, sed etiam quædam mortalia, quæ in ordine ad finem legis civilis parva reputantur, licet in ordine ad Deum sint magna.

8. *An opera indifferentia per legem naturalem permittantur, ac per cæteras.*—De indifferentibus autem operibus dubitari potest an dici possint permitti lege aliqua, quia nulla esse videtur quæ positive illa permittit, sed tantum negative, quia non prohibet, nec præcipit illa, quod non videtur esse satis, ut dixi. Nihilominus dici possunt proprie permitti per legem naturalem, quia lex naturalis non mere negative circa illa se habet, sed etiam positive judicat et disponit talia esse indifferentia, ac proinde ex se non esse dissentanea naturæ rationali, nec per se honesta. Unde etiam talia sunt, ut per quamcumque aliam legem permitti possint. De actibus vero bonis obscurum est quod ibi divus Thomas prius ait, legem præcipere omnes actus virtutum: nam hoc nec de una aliqua lege, nec de omnibus simul videtur verum, et patet de operibus consiliorum. Item patet de parvis bonis, de quibus statim idem D. Thomas dicit, solum permitti, et tamen illi sunt actus boni: non ergo omnes actus boni præcipiuntur aliqua lege. Denique obscurum etiam est, cur bona minora dicantur permitti lege naturæ, et non meliora, de quibus etiam dictat lex naturalis non esse de necessitate virtutis. Verumtamen prior propositio a divo Thoma adducitur ex Aristotele, 5 Ethic., c. 1 et 2, qui de lege humana loquitur, et ab eodem D. Thoma exponitur infra, q. 96, art. 3, non de singulis operibus virtutum, sed de actibus omnium virtutum generatim, seu indefinite, et sic verum est leges præcipere omnium virtutum actus, licet non præcipiant omnes et singulos actus omnium virtutum: et ita nihil

repugnat esse aliquos actus bonos tantum permissos. Hoc autem magis attribuit D. Thomas minoribus bonis quam maioribus, quia minora non consuluntur, majora vero consuluntur; et quæ talia sunt, non videntur a D. Thoma sub his effectibus legis comprehendi, forte propter rationem in capite superiori insinuatam.

## CAPUT XVII.

## UTRUM SINT ALII EFFECTUS LEGIS PRÆTER ILLOS QUATUOR.

1. Inquirimus sufficientiam prædictæ numerationis: et ratio dubitandi est, quia plures alii effectus solent fieri per leges. Primo enim per leges taxantur pretia rerum. Secundo, per illas constituitur medium in materia virtutis. Tertio, dantur formæ contractibus, testamentis, etc. Et constituuntur ut essentielles, ita ut actus aliter facti non valeant. Ad quem effectum pertinent etiam irrationes contractuum, inhabilitationes personarum ad tales contractus, vel munera. Quartus est mutare dominia rerum. Quintus leges revocare. Sextus favores concedere et præmia tribuere: non enim minus hoc ad legem pertinet quam punitio. *Nam præmio ut pena vita moderatur humana*, ut Isidorus supra dicit.

2. Hanc difficultatem facile aliqui expediunt, concedendo esse alios effectus legis; illos vero quatuor fuisse numeratos ut præcipuos, magisque usitatos, ac necessarios, et quia ex eis facile erat alios intelligere. Quod non habet magnum inconveniens, quia nec Isidorus, nec Jureconsulti, nec D. Thomas assumpserunt provinciam tradendi omnes effectus, sed moraliter ac doctrinaliter locuti sunt. Et ab hoc modo dicendi non longe absunt Glossa, et Bartholomæus in d. l. *Legis virtus*, dum dicunt aliquas esse leges quæ non habent aliquem ex his effectibus; nullam tamen esse quæ non faciat aliquem effectum æquipollentem, et hoc satis esse. Et eadem ratione concedunt posse aliquam legem non habere aliquem alium æquipollentem alicui ex supra numeratis.

3. *Nullam esse legem sine aliquo ex effectibus numeratis, et omnes alios in his contineri ut probabile asseritur.*—Satis tamen probabiliter dici potest nullam esse legem, quæ non habeat aliquem ex dictis effectibus cum omni proprietate. Et e contrario nullum esse effectum legis qui sub prædictis non contineatur. Primum probatur ex principio posito in capite

præcedenti, ubi ostendimus omnem legem habere vim obligandi: ergo necesse est ut omnis lex obliget: ergo vel ad agendum, vel ad non agendum: nam hæc contradictorie opponuntur, et consequenter non admittunt medium, et ideo nulla est lex quæ saltem quatenus aliquem obligat, non habeat rationem præcepti aut prohibitionis, licet sub aliis rationibus possit alios effectus habere.

4. *De duplici potestate, directiva scilicet et coactiva, quæ comitantur legem.*— Ut autem probetur altera pars. supponenda est vulgaris distinctio de duplici virtute legis, directiva, et coactiva, quam tradit D. Thomas, q. 69, art. 5, et ibi alii. Solent autem hæc verba varie accipi: interdum enim vis coactiva legis dicitur vis obligandi in conscientia, quomodo loquitur D. Thomas, l. 2, q. 17, art. 3, ad 2, dum in hoc distinguit consilium a præcepto, quod consilium est inductio non habens vim activam, id est obligativam, et sic vis directiva est communis consilio: consistitque solum in illuminatione et directione mentis. Ita etiam Cajetanus, t. 1 Opusc., q. 2, sub coactione legis vim omnem ad obligandum includit, et fere, eodem modo loquitur Soto, l. 1 de Just., q. 6, art. 7, circa finem. Proprie vero loquendo, in ipsamet lege duo effectus, et consequenter quasi duæ virtutes distinguuntur: alia obligandi in conscientia, quæ directiva dicitur, alia subijciendi et obligandi ad pœnam, quæ coactiva dicitur. Nam in legislatore utraque potestas necessaria est: directiva, ut imperare valeat quid agendum vel non agendum sit cum necessitate quadam pertinente ad honestatem morum, quæ dicitur obligatio in conscientia, seu in ratione honestatis: coactiva, ut cogere possit ut sibi obediatur. Et hic est communior usus harum vocum, ut constat ex D. Thoma, dict. q. 96, art. 5, et aliis interpretibus ibi, et ita illis utemur, quia coactio proprie dicitur de re involuntaria, ut est pœna: directio autem legis plus includit, quia consilium, vel motionem, ac subinde includit obligationem.

5. Potestas ergo directiva sufficienter videtur explicari per actum præcipiendi et prohibendi propter rationem dictam, quod hæc contradictorie opponuntur. Item quia illæ duæ partes justitiæ, quæ sunt vitare malum et facere bonum, sufficienter comprehendunt totam justitiam, ut recte tradit D. Thomas 2, 2, q. 79, art. 1; ergo et leges ut obligantes sufficienter dividuntur per præcipientem et prohibentem. Ad potestatem autem coactivam pertinet moraliter cogere ad obediendum utrique legi,

quod fit per comminationem pœnæ: unde Augustinus, lib. de Correp. et Grat., cap. 1: *Dominus (inquit) solum ostendit a quo malo declinemus, et quod bonum faciamus, quod solum potest legis littera.* Postea vero ait hæc non posse impleri sine Spiritu gratiæ: *Quæ si desit (inquit), ad hoc lex valet ut reos faciat et occidat.* In quo explicat propriam vim coactivam legis: unde per hæc tria videbatur sufficienter explicata tota efficacia legis: tamen quia interdum etiam necessarium est aliquid permittere, quod fit sine obligatione, vel coactione respectu ejus cui fit permissio: ideo necessarium fuit hunc etiam effectum explicare, quia prout fieri potest per legem, partim a potestate directiva, partim a coactiva dependet. Nam ipsamet vis directiva ostendit et statuit aliquid esse permittendum, et non puniendum ab homine, et ita præcipit ipsam permissionem, et cogit ad illius observationem, et ita constant dicti quatuor effectus, nec apparet necessitas multiplicandi alios.

6. *Ad quem effectum legis pertineat pretia rerum taxare.*— Hoc autem ultimum magis confirmabitur discurrendo per alios effectus qui in principio, in secunda parte rationis dubitandi, proponebantur. Primus erat taxare pretia rerum, de quo assero pertinere ad effectum præcipiendi, vel prohibendi, aut permittendi, vel certe aliquid de singulis includere: ordinarie enim videntur tales leges ferri per prohibitionem, ne talis res pluris vendatur quam tanti, vel ne minori pretio ematur quam tali. Et interdum potest utrumque præcipi, scilicet, ut res vendatur, et ut tanti vendatur: frequentius vero permittitur venditio: taxatur autem pretium per aliquam prohibitionem, ut dixi. Vel, si velimus per modum affirmativi præcepti illud explicare, erit quasi sub conditione, seu quoad modum actus, non quoad exercitium, scilicet, si quis voluerit vendere, aut emere, tanti id faciat. Nec refert quod lex non feratur per propria verba præcepti, sed per verba quæ circa materiam versantur, taxando illam, vel aliquid simile, quia, ut dicitur in lib. *Cum pater*, § *Donationis*, ff. de Legar. 2: *Non queri oportet, cum quo de supremis quis loquatur, sed in quem voluntatis intentio dirigatur.*

7. *Ad quem effectum pertineat constituere medium in materia virtutis.*— Secundus effectus erat constituere medium in materia virtutis. De quo idem dicendum est: nam illud non fit nisi prohibendo, vel præcipiendo. Ut præceptum jejunii præscribit hodie medium

temperantiæ prohibendo cibos talis qualitatis, et plures comestiones ex aliis permissis, vel si medium affirmative statuatur, pertinet ad præceptum. Hoc enim modo lex præcipiens audire Missam in die festo, constituit in usu illius medium virtutis religionis pro tali tempore, quia pro illo facit talem actum esse necessarium ad honestatem illius virtutis, quod non fit nisi imponendo obligationem talis actus pro tali tempore.

8. *Ad quem effectum legis pertineat formam in humanis actionibus statuere.*— Tertius effectus erat formam in humanis actionibus ponere, scilicet, ut fiant tali vel tali modo, sub quo comprehendimus irritationem contractuum, et inhabilitationem personarum, vel ad illos simpliciter, vel ad illos tali aut tali modo faciendos, vel ad talia munera, etc. De quo effectu generatim dici potest sub præcepto comprehendi, quatenus lex dat formam actibus, et sub prohibitione, quatenus illos irritat. Sed hoc posterius habet difficultatem, quia ad irritandum non sufficit prohibitio, etiam directa, ut suo loco dicetur; ergo irritatio dicit specialem effectum a prohibitione distinctum. Nam prohibitio, ut sic, non tollit absolutam potestatem faciendi actum, sed facit ne liceat: at irritatio privat potestate faciendi valide actum; est ergo effectus distinctus: et ideo addi potest, irritationem esse quidem distinctum effectum a prohibitione; semper tamen adjungi prohibitioni, et habere rationem pœnæ, vel ejusdem prohibitionis violatæ, vel alterius culpæ. Verumtamen, licet hæc irrationes vel inhabilitationes sæpe inferantur per leges in pœnam, per se tamen non ita est: nam inhabilitatio sacerdotis ad matrimonium non est pœna, nec irritatio matrimonii sine parochæ et testibus, et similia. Dicit aliter potest hunc effectum esse specialem, et distinctum ab illis quatuor; tamen esse specialem legis humanæ, et ideo non assignari. Sed hoc non satis facit: tum quia qui distinguunt et numerant illos quatuor effectus, præcipue loquuntur de lege humana: tum etiam quia forte assumptum non est verum, et non est parum controversum, an lex naturalis vel divina interdum irritet actus, vel inhabilitet personas ad illos, quod postea videndum est.

9. *Effectus irritandi vel inhabilitandi ad legem prohibentem vel præcipientem pertinet.*— Dicendum ergo est, hunc effectum irritandi vel inhabilitandi sub prohibitione, vel præcepto contineri. Duobus enim modis fieri potest irritatio, scilicet præscribendo formam